



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quarè donatus sit nobis peccatoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tione & peccato, sicut dicit Propheta Psalm. quinto, Omnes declinauerunt, & inutiles facti sunt, & Paulus Rom. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: Ideò datus est omnibus hominibus, vt illorum sit redemptor à peccato & saluator. Nam pater posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, Esaię 53. Factus est hostia & propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Io. 2. Mortuus est propter peccata nostra, Rom. 4. Ideò ipse est agnus ille paschalis oblatus pro peccatis nostris ac totius mundi, 1. Corinth. 5. Qui solus potuit nos reconciliare patri.

2. Nisi Christus semetipsum obtulisset hostiam pro peccato, Galat. 1. nullum esset in mundo remedium contrà peccata, nulla remissio, nulla salus, nullus fauor & misericordia Dei erga nos, nullum subsidium Dei contrà demonem & sathanam, ille enim plenam in nos haberet potestatem: ideò quòd sumus filij & in gratia Dei, quòd remittit peccatum, protegit, nutrit, saluat, totum ex merito istius hostiæ est, scilicet Christi. Ipse morte sua omnia reconciliauit patri, & aperuit regna cœlorum, & agnus solus est qui tollit peccata mundi. Ioan. 1.

3. Propter ipsum Christum pater cœlestis tria nobis promisit, si in illum crediderimus, & vt illa sint nobis certissima, mortem & ipsum Christum in pignus istarum promissionum dedit.

Promissio
prima.

Primò promisit misericordiam suam, vt propter nomen Christi filij sui remitterentur nobis peccata, si pœnituerimus & cessauerimus, gratis sine nostro merito, sed propter illius meritum, quòd mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustitiam nostram, Roman. quarto, quàm Deus pater vult nobis imputare in accusatione legis, peccati, & mortis. Hanc promissionē vbique denunciant Apostoli, Roman. 3. gratis iustificati in sanguine eius. Petrus Actor. 10. Huic omnia Prophete testimonium perhibent